

**Dissertatio medica inauguralis, de crisis in morbis acutis ... / [Thomas Elliot].**

**Contributors**

Elliot, Thomas.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : In aedibus R. Flaminii, 1746.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a6m6enzq>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

*CRISIBUS in Morbis Acutis :*

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
et Nobilissimæ Facultatis MEDICÆ Decreto;

*Pro Gradu DOCTORATUS, Summisque in Medicina Hono-  
ribus, ac Privilegiis, rite et legitime consequendis,*

Eruditorum Examini subjicit

THOMAS ELLIOT *Scoto-Britannus.*

Ad diem 15 Augusti, Hora Loquoque solitis.



EDINBURGI:

In Ædibus R. FLAMINII, M.DCC.XLVI.



D. GILBERT  
D. GILBERT

CRABUS in Aethiopia  
CRABUS in Aethiopia


ANNUS 1780  
ANNUS 1780

D. GILBERT WISEMAN, S. T. D.  
D. GILBERT WISEMAN, S. T. D.

et Nobilitate  
et Nobilitate

THOMAS  
THOMAS

Ad hunc  
Ad hunc



EDINBURGH  
EDINBURGH

NOBILI CLAROQUE VIRO

D. GILBERTO ELIOTT

*De STOBBS,*

Equiti Baronetto;

NEC NON,

Medico perito ANDREÆ PLUMMER,

Chemiæ in Academia EDINENSIS

PROFESSORI:

Has suas in arte *medica* Primitias,

*Qualecunque perennis observantiæ,*

*et animi grati, monumentum*

*humiliter offert*

THOMAS ELLIOT.



P. L. E R R A T A.

|     |    |                  |             |
|-----|----|------------------|-------------|
| 5   | 27 | circumductæ lege | circumducti |
| 8   | 18 | redditio         | reditio     |
| 11  | 6  | præfagii         | præfagii    |
| 16  | 1  | fudorum          | fudorem     |
| ib. | 15 | ſæculi           | ſæculi      |
| 18  | 27 | fundamenro       | fundamento  |
| 19  | 24 | conguere         | congruere   |
| 20  | 15 | ſuam             | ſuum        |
| 24  | 2  | medecinæ         | medicinæ    |



# Differtatio Medica Inauguralis,

D E

## CRISIBUS in Morbis Acutis.

**D**ICTURUS de *crisibus in morbis acutis*, primo omnium mihi incumbit, quid sit crisis definire.----Crisis vocabulum non uno sensu, apud Hippocratem, et Galenum usurpatur.---Hippocrates frequenter, uti notat Galenus (a), in primo epidemion libro, et potissimum in tertio, morbi simplicem solutionem crisin vocat, nulla neque excretionem, neque abscessu evidenter prægresso.

Ipsè Galenus, de crisibus ex instituto scribens, sequentia proferit (b); *sive subitam in morbo mutationem, sive ad meliorem statum inclinationem, sive perturbationem, quæ eos antecedit, sive omnem morbi solutionem, sive eam tantum quæ bona sit, crisin velit quis appellare, non est mihi nisi obiter hoc in loco distinguere, propositum.* Postea vero accuratius, crisin a morbi solutione distinguit, quæ fit morbo jam declinante, his verbis (c). *Sæpius vero, neque ulla Crisis fit status tempore, sed paulatim solvitur morbus, longo tempore coctionem recipiens; et paulo inferius hæc subjungit; clarum est quod hujusmodi solutionem, neque Crisin nomen: si qua vero confertim fiat permutatio, et multo magis, eam perturbationem, quæ illam præcedit, ita appello.* Exinde apparet, Galenum per Crisin intellexisse, non omnem morbi solutionem, sed mutationem potius quandam, quæ subito fit, prægressa perturbatione aliqua insigni.

A

Quæ

(a) De dieb. decretor. l. 2. cap. 4.

(b) De crisibus, l. 1. cap. 1.

(c) Ibid cap. ultimo.



Quæ vero, totam crisis ideam, non prorsus absolvunt; nam sub ejus adventu, alia quædam eveniunt, notatu digna. Unde Galenus alibi de crisisibus sic scribit (a). *Sola subita ad sanitatem conversio, simpliciter crisis nominatur; et quidem omnino fit per manifestas quasdam excretiones, aut effatu dignos abscessus; quicunque enim aliter quieverint, malignius recurrunt. Antecedit autem hujusmodi excretiones, et abscessus, non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis.*

Dum adstantes viderint ægros tanta in perturbatione versatos, non mirum est, eos magno timore corripere, et conclamare, quod tunc judicium de vita ægrotantis ageretur. Unde nomen κρίσις ἀπο τῆ κρίνεσθαι, a judicando, dictum.-----Galenus subitam in sanitatem mutationem, Crisin vocat, tantum per excellentiam, quasi omnium optimam, et qua natura superante (per quam nihil aliud intelligo, nisi aggregatum diversarum corporis functionum, et in morbis, quod de sanitate adhuc superest) perficitur; nam subitam in mortem mutationem appellavit quoque Crisin, sed *malam* (b); illam autem, quæ aliquam insignem facit mutationem, non tamen integrè morbum tollit, *imperfectam* (c). Nunc ægri in ipso morbi principio moriuntur, uti illis accidit, quibus vires cito deficiunt, morbi magnitudini impares; nunc sub morbi statu, natura a vi morbi devicta; nunc etiam, sed rarius, sub ejus declinatione, vigore vitali soluto; in hisce casibus notat Galenus (d) ægros absque Crisi mori, et naturam nihil ad morbum depellendum moliri; ubi vero hoc moliebatur, sed succubuit, simulque excretiones, vel abscessus effatu digni adfuerint, *malam* Crisin, talem eventum appellat.

Hisce omnibus ritè perpenſis, Crisin sic definire licet.

Crisis est subitanea morbi mutatio, in pejus vel melius, quam præcedunt quædam œconomix animalis turbæ, et comitantur, vel sequuntur, excreta per alvum, sudorem, vomitum, &c. vel humorum in nonnulla corporis loca abscessus.

Crises

(a) De Crisib. l. 3. c. 2.

(b) Ibid. c. 1.

(c) Ibid.

(d) Ibid. c. 9.



Crises hoc sensu proprie pertinent ad morbos acutos, qualis febris est ardens, qualis synochus, et huiusmodi; et præcipue si magni sint, ut monet Galenus (a) *siquidem, magni judicantur omnino; qui autem parvi solvuntur solum*; si ætas juvenilis, si tempus anni calidum, et similia adfunt, quæ futuris judicationibus consentiunt.

Non tamen inficias ibo, quin aliquando, sed rarius morbi etiam diuturni, atque lenti, quadam Crisis specie, terminantur. Perspicuum est enim, morbos ejusmodi, circa illam vitæ periodum, qua corpora utriusque sexus, insignem subeunt mutationem, spontè interdum evanescere. Sic epilepsia pueris adeo infesta, tempore pubertatis, et erumpente in virginibus, fluxu menstruo, sæpiissime solet abire. Plures sunt quoque historiæ ægrorum, a mania, melancholia, et epilepsia liberatorum, diarrhœa, vel eruptione aliqua cutanea sponte obortis (b). Hydropem Anasarcam post diarrhœam spontaneam sine medicamentis evanuisse testatur Forestus (c).

Attamen medici minus in hisce morbis, quam acutis, Crises respiciunt, ad quos curandos natura ipsa, sæpe solum sufficit, et suis viribus optime instructa, nostra non indiget ope; dum, qui diuturni sunt, auxilium medici, et majorem medicamentorum apparatus requirunt.

Cum cognitum sit, qui morbi per Crisin sæpius finiuntur, videamus proxime, quæ, Crisin jam instare demonstrant.

Diximus Crisin semper præcedere insignes quasdam, in corpore turbas; sic Hippocrates (d). *Quibus Crisis fit, iis nox gravis ante accessionem, quæ vero subsequitur, magna ex parte levior solet existere.* De hac re moniti etiam sumus a Galeno (e). *Omnino enim fit aliqua novitas, quando Crisis est futura, vel circa respirationem, vel circa mentem, vel auditum, vel visum, vel ferendi facilitatem, vel circa aliquid eorum, quæ jam diximus, quæ sane uno nomine, summatim judiciaria symptomata, et signa appellamus.*

(a) Ibid c. 4.

(b) Tulp. observ. med. l. 1. c. 8.

(c) Forest. l. 10. obs. 31.

(d) Aph. l. 2. 13.

(e) De Crisib. l. 3. c. 10.



*pellamus.* Hoc tempore, febris exacerbari solet, magnum fit quorundam symptomatum incrementum, et aliquando, vix ulla est corporis functio, quæ non mire turbatur. Hæ, quoad ægri conditionem, mutationes, appellantur symptomata critica, seu perturbatio critica, quæ improvise exoritur, nulla accedente nova morbi causa. Hinc subinde, delirium, sopor, vertigo, vigiliæ, oblivio, sensuum inusitatus error, dyspnæa, rigor, dolor capitis, cervicis, stomachi, aliarumve partium insignis; ad hæc, aurium susurrus, falsi oculis objecti splendores, invitæ lachrymæ, tremula labii inferioris agitatio, frequens nausea, æstus, sitis solito major, pulsus sine ordine, urinæ suppressio, alvi murmura. Inter has turbas, æger totus angitur, in omnem partem sese jactat, vociferatur, et nonnunquam plane in furorem actus, in lecto detineri nequit.

Nemo existimet hæc omnia simul ægrum laceffere, quippe illico moriendum esset homini tot malis oppresso. Omnia recensui, quorum nunc plura, nunc pauciora, sunt Crisis futuræ indicio; imo sæpe evenit, Crisin portendi uno solummodo symptomate ferociore reddito, ut delirio, sopore, et hujusmodi.---Periti est medici hæc rite distinguere ab symptomatibus quæ morbo crescente proveniunt, neque decet eum turbari uti imperiti solent. Quosdam suo tempore extitisse, conqueritur Galenus (*a*), qui ingressi ad ægrum, putabant, nihil ab ipsis gestum esse præclarum et artificiosum, nisi cum Cataplasma imposuerint, vel clysterem indiderint, vel venam inciderint, vel aliud hujusmodi fecerint.---Hi medici, quoties ad ægrum accedunt, toties peccant. In hac re igitur, summo judicio, summa prudentia opus est. Quando hæc symptomata, salutem promittunt, et medicamentis non sunt aggrédienda, postea melius patebit, cum de Crisibus bonis atque malis egerimus, sufficiat inpræsentiarum innuisse, quod hisce ita comparatum est, ut post notas concoctiones ægro sunt saluti; substante cruditate, perniciem minentur. Bona quoque sunt si sub morbi statum apparent, vel in aliquo horum dierum qui Crisi sunt proprii; incipiente vero morbo plerumque exitiosa.

His

(*a*) De dieb. decretor. l. i. c. 11.



His prævisis, quæ ad crises prænoscentas faciunt, jam indicare operæ erit pretium qualis futura sit crisis: ut hac quoque parte instructum sit medici iudicium, ne circa morbi eventum hallucinetur, vel temere aliquid effundat, quod rerum exitus postea falsum esse monstrabit. --- Plures recensentur apud auctores crifium differentia, quippe quædam bonæ, quædam malæ, quædam perfectæ, quædam imperfectæ, quædam fideles et certæ, quædam incertæ, quædam manifestæ, quædam obscuræ, quædam per dies *contemplabiles* indicatæ, et quædam denique absque ulla indicatione provenientes. At omnes hæ species facile ad crises bonas atque malas revocari possunt, de quibus solum a nobis est agendum.

Sed antequam dico, quibus signis hæ crises se manifestant, non alienum videtur, paucis exponere, quæ sit *Coctio*, quæ *Crudititas* in morbis, adeo inter veteres decantatæ, et quas tanti fecerunt, tum ad morbi tempora distinguenda, tum ad naturam crisis futuræ perspicendam. ----- *Coctio* morbi (Græcis *πεπαισμενος* audit) est talis ejus materiæ mutatio, qua functiones corporis minus lædit, vel apta redditur, ut ex corpore eliminari possit; idque vel actione vasorum, vel mutatione ipsius materiæ spontanea, aut medicamentis juvantibus.

In febre ardente, ubi sanguis partibus suis tenuioribus orbatus, difficile movetur per ultimos arteriarum fines, requiritur, ad morbi coctionem, ut humores stagnantes, idoneo solidorum agentium et reagentium auxilio, ita dissolvantur, et attenuentur, ut meatus venarum contiguarum subire queant; et sic in circumlum cum tota massa sanguinea circumductæ, postea expelli possint, per corporis emunctoria, si indolem sanis humoribus similem, nondum adipiscuntur. Si vero humores vitiantur, et fiunt morbos, vel fluore nimio, vel acrimonia quacunque, hujus subactio, illius incrassatio, ad concoctionem est necessaria. Non igitur subtile quidpiam, per coctionem intelligi videtur, et nihil aliud est, quam, morbi ipsius allevatio; causa quæ morbum fecit, jam qualitates deponente, quæ sanitati adversabantur. --- Sub coctionis tempore, functiones læsæ, incipiunt iterum in integrum  
B  
restitui



restitui, ut quoque morbus suam remittere sævitiam. --- Hic vero monendum, omnem morbi diminutionem, non pro coctione esse habendam, qui non raro mitior fit, morte jam instante; sed illam tantum, quæ virium firmitatem comitatur. --- Si vero morbus minuitur, dum simul ægri vires augeantur, de morbi coctione falli non possumus.

Signa coctionis præcipue in excretis quæsiverunt veteres, quæ eo meliora quo propius ad statum sanum accedunt.

In morbis ventrem occupantibus, alvi excrementa consulebant, de quibus Hippocrates (a) monet, illa esse optima, quæ venter reddit mollia, atque concreta, eodem fere tempore, quo secunda valetudine affuevit, modoque his convenientia quæ assumuntur. Tales enim dejectiones, inferiorem ventrem valere ostendunt. ---- In febribus acutis imprimis consulitur urina, quæ est optimi præsagii, in qua per totum morbi curriculum, donec ipse judicatus sit, sedimentum, album, læve, æquale, cito subsidens, apparet. Hoc est enim signum in urina coctionis, et morbum brevem fore pollicetur (b).

In morbis vero pectoris atque pulmonum, sputa erant contemplanda, quæ si alba, æqualia, non admodum tenuia, vel crassa, et sine difficultate excreta, concocta esse dicebantur (c). Hæ notæ sufficiant pro cognoscenda coctione, in excrementis alvi, urinis, atque sputis.

Signa coctionis, hoc sibi peculiare præ criticis vendicant, quod semper salutifera sunt, quocunque demum morbi tempore appareant; et mehercle tanti sunt ad salutem prædicendam momenti, ut Galenus non dubitat affirmare, morbum non prius solvi, quam in excretis signa coctionis conspiciantur.

Materia morbi, ea natura prædita, ut morbum faciat, vel augeat, appellatur *Cruda*; et ille status morbi dicitur ejus *Cruditas*: cognoscitur ex symptomatum augmento, ex functionibus impeditis, at omnium optime, per excreta, substantia et contentis mutata, ab iis, quæ in sanitate fiebant. Hinc in morbis acutis,  
urina

(a) In Prognostic. Charter. Tom. 8. p. 626. | (c) Id. ibid. p. 640.

(b) Id. ibid. p. 631.



urina tenuis, aquosa, exiens, ut signum cruditatis semper habetur. Testatur enim sanguinis fluidas et aquosas partes, a magis crassis, separari, quæ jam in ultimis vasis sistuntur, et immobilia hærent. Unde etiam, copiosæ tenues urinæ, probe idolum adnotante Hippocrate, delirii sunt indicio. Sanguis enim, subducto sero crassior redditus, facile in meningum vasculis, sub artiarum cerebri impetu languidiori, stagnat, et phrenitidem producit.

Atque hæc de coctione et cruditate morbi.

Jam de Crisium eventu pauca dicenda, et talia signa, quibus dignosci poterit, an hæc naturæ conamina, ægrotanti salutis futura sint, nec ne, proponenda. Ut a priore ordiamur. Primum et certissimum felicitis Crisis signum est, quum ex excretis appareant indicia coctionis jam absolutæ. Hoc tanti pretii est, tantamque certitudinem pollicetur, ut Galenus (a) scripserit, se milles, crisisbus accidentibus, affuisse, et ne vel semel, ægrotantem morte sublatum vidisse, cui contigisset Crisis eo quem diximus modo. -- Hæc sunt ejus verba. *Primum quidem et maximum inter omnia est, considerare coctiones ex urinis, alvi excrementis, et sputaminibus. Siquidem ego milles, cum, dum crises fierent, interesssem, neminem unquam vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus, crisis habuisset.*

De Crisium quoque exitu, judicandum est, ex tempore, quo accidunt; experientia enim docuit veteres, quæ apparerent, quum morbus ad statum (b) pervenisset, eas maxime fideles esse; vel si die critico antecedente indicarentur, concoctione, aut alio bono signo. Ita Hipp. (c) *Quibus septima morbus judicatur, his nubilulam urina continet quarta die rubram, et alia ex ratione.*

Hæ autem Crises omnium felicissimæ, quæ cum omnibus prædictis conditionibus comitantibus, sponte apparent, quibusdam diebus, quos experientia docuit dicatos esse quodammodo, criticis febrium mutationibus. Hujusmodi sunt, septimus, undecimus, et decimus quartus. Sed de his postea fusius tractandum.

In

(a) De Crisib. l. 3. c. 3. | (c) Aph. 4. 71.  
(b) Ibid. c. 6.



In crisibus bonis atque perfectis, humorum excretio præterea, morbi naturæ congruere debet; compertum enim est, febres alias, alia evacuatione finiri. Ita ardentium febrium proprium fere est, ut Crisis fiat, pleno sanguinis ex naribus fluxu; præsertim calido anni tempore, florente juventute, aut regione calida. Febres pestiferæ et malignæ contra, sæpius terminari diarrhœa aut dejectione observantur, quod a Galeno (a) olim notatum, et a pluribus recentiorum, deinceps confirmatum, fuit. *Ego quidem* (ait Hoffmannus de febre petechiali scribens) *præxi quinquaginta annorum, confirmatum habeo, rarius sudore aut hæmorrhagia, sed frequentius per diarrhœam, septimo, nono, vel undecimo die, erumpentem, solutos fuisse hos morbos.* Sic quoque Gerardus Columba (b) memoriæ prodidit, quod in quadam constitutione pestilenti, fere omnes quibus alvus copiose deiecit, licet cum signis cruditatis fuerit, tandem liberatos fuisse. Bonas denique Crises sequuntur, melior vultus, expeditiorque spiratio, et major in convertendo, et levando corpore vis, et pulsuum ad justam mediocritatem, æqualitatem, ordinemque redditio. *Si vero ex his aliquid desit, tantum ab optima deficit, quanta est ejus quod deficit vis* (c).

Hæc quæ modo protulimus, de felici crisis eventum dijudicando, mere conficta non sunt, sed in experientia posita; nam ab Hippocrate confirmantur, et deduci possint, ex compluribus historiis in præclaris ejus, de morbis vulgaribus, libris, memoriæ traditis; præsertim ægri qui in Dealcis horto cubuerit (d), Nicodemi (e), Periclis (f), Annaxionis (g), et Herophiti (h). Qui omnes, febribus acutis laborabant, felici Crisi terminatis, et in his omnes, vel saltem pleræque conditionum, quas diximus, esse Crisis salutiferæ indicia, notabiles sunt.

Aliæ sunt crises, quibus, quamvis plerumque bonus sit eventus, non tamen sunt adeo certæ et fideles, ut his medicus niti debeat æque,

(a) Lib. de Atr. Bil. c. 4.

(b) De febr. pestilent. p. 231.

(c) Gal. de Cris. l. 3. c. 3.

(d) Hip. Epidem. l. 3. Sect. 1. ægr. 1.

(e) Ibid. Sect. 2. ægr. 10.

(f) Ibid. ægr. 6.

(g) Ibid. ægr. 8.

(h) Ibid. ægr. 9.



æque, atque antedictis, quum sæpius, accidit hisce non obstantibus, quod ægrotans, aut ægerrime convalescit, aut in morbum relabitur. Hæ, crescente morbo, apparent, cum adhuc concoctio sit imperfecta, vel jam tantum inchoata; aut si eveniunt hisce diebus, qui critici non sunt; ægrotante humorum evacuationem ægrè ferente, neque inde dolore liberato, neque conditione pulsus, multum in melius mutata (a). De hisce crisibus imperfectis notandum, optimas esse, quæ sanguinis fluxu per nares sese ostendunt; ægroto aliquando ex hac evacuatione perfecte iudicato, idque licet, ab initio appareat, nullo signo coctionis præcedente.---Hactenus de bonis crisibus; jam considerandæ veniunt, quarum eventus est infaustus, mortemque ægrotanti afferunt.

Crises huiusmodi signis contrariis, quibus optimas prælagiri, dignoscuntur; scire igitur licet, Crisin exitiosam futuram esse, ad morbi initia, et vigente adhuc cruditate provenientem, quo tempore, quicquam boni, Natura nunquam excernit; de hoc certiores erimus, si diebus decretoriis apparet Crisis, cum vacuatione, quadam per se prava; urina sciz. nigra, crassa et mali odoris; sudore frigido; sanguine de naribus, sed parco admodum, erumpente; vomitu virulento, vel qui varius, et multorum colorum est, præcipueque si malus in hoc odor est; alvi colliquatione, similibusque.

Ad hæc, si accedunt ea indicia quibus mors plerumque denunciatur; qualia sunt ubi brachiis atque cruribus calor non subest, ubi frigidus est spiritus, ubi æger in veste floccos legit, fimbriasque diducit, et alia perquam multa, quæ mortem subesse testantur. Post crises, quæ exitiosæ futuræ sunt, secus ac in salutiferis, ægrotanti neque vultus, neque spiritus, neque pulsus meliores fiunt, sed contra decumbentes magis inquieti, et debiliores redduntur. Aliquando quidem, propterea quod, natura jam victa labascit, meliores se habere videntur, et liberatos esse a morbo et symptomatis, quibus vexabantur; et ignari his dolis delusi, falso credunt, omnia in vado esse, dum medicus peritus, ex pulsu  
C langu-



languidiori, aliisque memoratis, mortem jam impendere, probe intelligit.

Si ægro vires validæ sunt, Natura fortè, iteratis vicibus, hostem adgrediatur, et plures erunt crises imperfectæ, signis coctionis nunc in medium prodeuntibus, nunc evanescentibus iterum, usque donec morbus, in totum, rerum potitus est, et mors subsequitur (*a*). Atque hæc de crisis bonis atque malis.

Proxime dicendum, quo demum genere vacuationis, five qua via febris judicatio fit.

Si febris acuta est, et ægri vires validæ, scire licet, excretionem potius aliquam, quàm expectari abscessum oportere (*b*). Igitur ut rem brevi expediam, liceat mihi, evacuationes illas quibus febres solutæ sunt, percurrere; fiunt autem, per sanguinis eruptionem, per vomitum, per alvi fluxionem, per sudores, et denique per urinæ profluvium. De his ordine.

Primum itaque, Crisis solet fieri per sanguinis fluxum e naribus, si præcordia, vel dextra, vel læva, sine dolore intenduntur; simulque si spiritus sit difficilis; et caput pulsante atque distendente afficitur dolore; et facies tota, potissimum, oculi, nares, atque malæ rubescunt: si hebes sit visus, vel oculis obversantur splendores; si collum atque scapulae dolent, vel adest illorum tensio, si obsurdescunt aures; si illachymant oculi repente, atque involuntariè; si arteriæ in temporibus vehementer agitantur; si nares pruriunt; magisque si dolor, circa faciem atque tempora, tum quoque gravis versatur (*c*). Ad hæc, ægroti aliquando expavescunt, ex quibusdam rubris spectris, et in lecto insurgunt, quasi aufugerent; ut olim Juveni Romano contigit, de quo meminit Galenus; qui sanguine jam ex naribus fluxuro, credidit se magnam rubri coloris serpentem, per laquearia repentem vidisse, et tanto timore correptus erat, ne aberrans super ipsum dilaberetur, ut de lecto exilire tentaret (*d*).

Oppor-

(*a*) Hippocrat. Epidem. l. 3. Sect. 1. |  
Ægr. 12.

(*b*) Gal. de Crisib. l. 3. c. ult.

(*c*) Hip. Epid. l. 1. Prog. 3. text. 33.  
id. 1. text. 22. Gal. de cris. l. 3. c. ult.  
Lomm. Observ. p. 36,

(*d*) Gal. de Prænot. ad Posthum. c. 13.



Opportunæ sunt huic vacuationi, febres ardentes, et ea insania quam Græci *Φρενιτις* vocant, ut quoque omnes quæ sub præcordiis fiunt inflammationes, Jecoris præsertim atque Lienis, ad hæc, si æstas est, ipsaque ætate florens homo. Larga oportet esse hæc hæmorrhagia, ubi vero paucae tantum stillæ prodeunt, idque die quarta, semper pessimi est presagii (a). An parca sanguinis in febre ardente eruptio est indicio, illum ita esse inspissatum, qui in aëre statim coeundo, viam sibi præcludit? An ideo signum lethale, quia sanguis, jam parte sua tenuiori orbatus, per vasa ultima transire nequit, unde humorum motum citò suffocatum iri? Causæ huic febri ansam præbentes, et effectus qui hinc oriuntur, talem esse sanguinis conditionem liquidò monstrant. Facile videre est, quod pleraque symptomatum, sanguinis fluxum præcedentium ortum debere majori tensioni, et impletioni, arteriarum, cum per internas, tum per externas capitis partes, dispersarum; Quid vero huc facit, illa præcordiorum tensio sine dolore, non adeo liquet. Interim secta cadavera docent, illis qui hæmorrhagiæ narium obnoxii fuere, sæpe viscera abdominalia, ut jecur, vel lienem, obstructa esse atque indurata (b). Licet illud sanguinis per nares profluvium, sit omnium maxime frequens, et magis salutare; tamen in febre ardente, aliæ etiam sanguinis vacuationes, per hæmorrhoidalia vasa, vel vias uterinas, ægro sunt præsidio. Sic in febribus, status tertii apud Thasum, ab Hippocrate (c) descriptis, plurimis menstruæ purgationes apparuerunt, et ait se nescire, quibus menses rite eveniebant, an ex iis quæquam perierit.

Nunc ad signa transeo, quæ Crisin per vomitum præsagunt. Qui expectari debet, si toto capite gravi, ac vertiginoso, oculisque caligantibus, afficitur doloris morfu stomachus; et crebro nauseat, idque cum ore amarescente, et multæ tenuisque salivæ spuito, et labri inferioris tremore. Tum quoque Hypochondria antèrius tenduntur, spiritusque est difficilis. Sin rigorprehendit, simul-

(a) Coac. prænot. No. 59, 134. Lib. 1. Epidem. in historiis Philesc. Epamiont. et Silen.

(b) Hoffman. Med. Rat. Tom. 2. p. 195. fol. edit.

(c) Lib. 1. Epidem.



simulque loca præcordiis inferiora refrigescunt, adhuc citius vomitio aderit. Ad hæc, si febris tertiana subest, si æstas est, et homo quintum et trigesium ætatis annum excessit (*a*).

Sequitur ut notas explicem, quæ crisin per alvi fluxum demonstrent. Galenus (*b*) quidem asserit, nullum hujus vacuationis esse signum proprium, sed tantum illius suspicionem nasci, dum crisis futura sit, et nullo alterius cujusdam vacuationis signo se prodeunte. Sed tamen non desunt signa quædam, quæ hoc iudicium prænunciant; cuiusmodi sunt, si murmure quodam fluctuat venter, si rugit atque pungitur. Scripsit quoque Hippocrates (*c*), si per febres, dolori præcordiorum submurmuranti, supervenit lumborum dolor, alvum ut plurimum humectari esse solitam.----Hæc enim cum signis criticis, alvum fluxurum, sunt indicia.

Quod ad sudorem criticum attinet, scire licet eum instare, si jam præiverunt signa coctionis, si adsunt perturbationes criticæ, et in debito morbi tempore contingentes; dum simul desunt alia, quæ docent, materiam per alias vias sibi exitum moliri. At etiam certior fuerit sudor, si (ut in febris ardente) sub accessionem, æger deliraverit, simulque summa corporis magis incalescunt, atque rubent, vaporemque quendam emittant calidum, qui antea non fuit, cum pulsu alto, molli atque undoso. Aliquando ægri sub crisin, balneis sese proluui, sub insomniis putant, id quod sibi contigisse, per acutam febrim sudaturo, meminit Lommius (*d*).

Bonos esse, sciendum, si uberes calidique feruntur, toto simul insudante corpore; damnandi autem frigidi, et qui circa caput tantum, faciem, vel cervicem oriuntur.

Denique per Urinæ profluvium solum, rarius videntur febres judicari, quod plerumque aliis vacuationibus comitatur; nulla sunt quod sciam huic propria signa; et veteres Medici coctionis et cruditatis notas frequentius quæsiere in urinis, quam expectabant criticam materiæ morbi, per illas expulsionem. Hæc de

vacu-

(*a*) Gal. de Crisib. l. 3. c. ult. Hippoc. 3. Prognost. sent. 30. Epid. l. 1. ægr. 13. Lom. obs. p. 38.

(*b*) De Cris. l. 3. sub finem.

(*c*) Aph. 4. 73.

(*d*) Observ. p. 40.



vacuationibus, quibus febres nonnunquam solvuntur; et hic loci illud observatione dignum videtur, quod sæpius notat Hippocrates, morbi liberationem, pluribus vacuationibus, non semper unica perfici consueſſe; ut si fortè ea, per febrim ardentem, sanguinis e naribus fluxu fieri cœperit, quem mox effusi sudores excipiunt, absolvuntque crisin.

At febres aliquando abscessu nato solvuntur; et hæ sunt quæ tardè moventur, vigesimumque jam egressæ diem, quibus nulla evidens facta vacuatio est, et si cruda diu atque tenuis urina fertur. Sub his enim casibus abscessus metum detrahit, urina multa, alba, crassa, in qua quod residet, perquam multum est (*a*). Si juxta aurem futurus abscessus est, his notis cognoscitur; spiritu difficili, quem protinus sequitur capitis gravitas atque dolor, altusque sopor, et surditas. Si vero nulla ex his affuerit, sed in locis inferioribus, vel dolor, vel gravitas, vel inflammatio est, scire licet his in locis abscessum oriturum esse (*b*).

Quæ hætenus de Crisium doctrina dicta sunt, deprompsimus ex venerabilibus antiquitatis monumentis, præcipueque, ex operibus præclarissimi Hippocratis, qui jure merito summis laudibus effertur, eo quod tanta diligentia, varios naturæ processus in morbis observaverit.

Quamvis hujus magni viri, in omni parte medicinæ insignis erat scientia, tamen in nulla, quam in præſagiendo, quid ægrotanti esset eventurum, enituit magis sagacitas. Hac maxime ratione, in qua nullus eum unquam exæquaverit, tantum affecutus est nomen, ut antiquum encomium ei a Celso datum (*c*) merito adhuc debeatur; sciz. quamvis recentiores medici in curationibus mutarint, tamen illum optime præſagisse fatentur. Utque doctrina Crisium, est præcipua in arte præſagiendi pars, ita ei acceptum referendum omne fere illud, quod in ea notum est. Quamvis magni progressus facti fuerint in omnibus fere partibus medicinæ, ex quo vixit divinus ille vir, nihilo secius hæcce doctrina, quam tanti fecerit, nescio quo fato, adeo infelicissima fuit, ut jam

D prorsus

(*a*) Hip. Aph. Sect. 4. 74.

(*b*) Gal. de Crisib. l. 3. sub finem.

(*c*) Cels. l. 2. in præfat.



prorsus obsoleta sit, et ludibrio habita. Me quidem latet, an quidquam his, quæ ab Hippocrate prodita fuerint memoriæ, additum fuit, donec nuper FRANCISCUS SOLANO DE LUQUE, Hispanus medicus, magno labore, hanc doctrinam novis inventis exauxit atque polivit. Ille quidem nulla eruditione, neque philosophiæ naturalis scientia nobilis erat, ideoque in observationibus faciendis, minus in ullam opinionem, prius adoptatam, inclinabat. Hac ratione instructus, ex sedula pulsus in febribus observatione; didicerat varias criticas evacuationes, per alvum, sudores, &c. prædicere, imo sæpe definire, quo die, quave hora diei hæ Crises futuræ essent. ---Cum hujus viri observationes elegantissimæ et prorsus admirandæ sint, et cum veterem doctrinam multum augeant, amplioremque reddant, condonatum mihi iri spero, si in dissertatione hujusmodi, in qua nihil novum proferre assumo, sed unicum et solum consilium est, eodem modo, quo naturales historici solent, talia colligere, quæ huic doctrinæ lucem aliquam affundere possunt; si inquam, exponerem regulas, quibus Solanus Crises prædixerit, quæ nisi, firmissimis testimoniis, et repetita experientia, probatæ fuissent, ficta fabula viderentur. Hanc rem paucis absolvam, et a signis critici fluxus sanguinis auspicabor.

Pulsus quem veteres Medici *Dicrotum* vocant (quando in diastole arteria bis ferit digitum tangentem, antequam systole sequatur, et vernacule appellari potest *rebounding Pulse*) fluxui e naribus sanguinis semper præcedere inveniebat (*a*). Sanguinis autem fluxuri, tempus determinabat, ex intervallo, inter hos pulsus *Dicrotos*, intercedente. Ita, ut si trigesimo quoque pulsu, arteria resiliaret post quadriduum, hæmorrhagiam expectabat; si quoque decimo sexto, post triduum; si octavo, post biduum, vel biduum cum semisse; denique si pulsus *Dicrotus* cum quaque quarta, tertia, vel secunda pulsatione reverteretur, vel si continuus erat, sanguis intra Nuchthemeri spatium fluebat (*b*), cum hæc intervalla regulariter minuerentur, certissime, Crisin prædicere

(*a*) Nihell on the Pulse, Part 2. Sect. 1. | (*b*) Id. ibid. Observ. 1. et c. 2. Obs. 4. c. 1. Observ. 1---7.



cere poterat, quæ pari passu appropinquabat. Aliquando Natura extra ordinem, Crisin nunc accelerat, nunc moratur, et tunc pulsus *Dicrotus*, magis vel minus frequenter reccurrebat, eodem fere gradu; si vero intervallis inordinatis reccurreret, ea certitudine qua alias, Crisis futuræ tempus præfinire haud poterat (*a*). Quoad vācuationis quantitatem, si pulsus *Dicroti* ictus secundus, primum robore superaret, hinc habuit compertum, magnum fore sanguinis fluxum, et vice versa; si vero illi æquales, hic quoque mediocris (*b*). Fluente sanguine, paulatim minuebatur illa pulsus resilitio, donec tandem post Crisin omnino evanesceret\*; si vero a fluxu rursus appareret, alteram ejusdem generis Crisin indicabat (*c*); et si in altero brachio evidentior erat, sanguis plerumque majori copia, ex nare ejusdem lateris profiliebat.

Quod dictum est de pulsu *Dicroto*, sciz. tempore quo recurrat, et intervallo aut longiore, aut brevior, quo Crisis inde accidere annunciatur, de cæteris quoque criticis pulsibus intelligendum, ne diutius in hujusmodi notationibus immoremur. --- Proxime de Diarrhæa; quam prædixerit Solanus, ex pulsu, qui semper pessimus in febribus esse reputatur, sciz. intermittente; et non dubitat asserere, illum tantum fieri lethalem, quando naturæ, ad Crisin perficiendam, deficit vis (*d*). Quantitas Diarrhææ, varia intermissionis duratione determinatur; adeo ut, si spatium unius tantum diastoles duret, vacuatio parva; si vero duarum, vel duarum cum semisse (quod spatium esse longissimum Solanus unquam observasset) excretio indicatur larga. Cum durities, aut mollities arteriæ pulsus intermissionem comitatur, illa vomitum, hæc urinæ profluvium Diarrhææ superaddi notat; atque utrius vacuationis quantitas, a majore vel minore duritie, sive mollitudine pulsus, prævidetur. ---- Crisin simplicem, per urinam aut vomitum, sine Diarrhæa comite, nunquam observavit Solanus, quare se ignorare fatetur, an habeant signa ulla specialia veteribus incognita.

Deni-

(*a*) Ch. 2. Observ. 7. ibid.

(*b*) Id. ibid. Ch. 1. Observ. 5.

\* Hoc de aliis Criticis pulsibus, mutatis mutandis quoque intelligendum.

(*c*) Id. ibid.

(*d*) Id. ibid. Sect. 2. c. 2. Obser. 1---7.



Denique, sudorum criticum fore præfagivit, ex pulsu, quem describit ita se habere; quando nempe binæ, tres, vel quatuor pulsationes successive insurgunt, non tantum supra præcedentes, sed etiam supra se mutuo, illo ordine quo se sequuntur, sic ut secundus robore primum excedat, tertius secundum et sic, porro. Hunc appellavit *pulsus inciduum*, qui mollitiei arteriæ conjunctus, signum præbet certum sudoris futuri critici (a). An idem est cum pulsu undoso molli, de quo olim inter notas sudoris critici meminebat Galenus (b)? Quantitas sudoris, juxta Solanum, est, in ratione composita ex numero et robore pulsuum supra se mutuo surgentium.

Solanus non asserit signa jam memorata omnibus crisibus semper præcedere, quippe, qui observaverit, quasdam fieri nullo horum præcedente. Id solummodo affirmat, Crises his signis apparentibus regulariter insequi, adeo ut ab anno hujus sæculi 1707, quo primum has observationes fecit, usque ad 1738, Crises ab his pulsibus prævisas, ter solum spem fefellisse meminerit.

Sic breviter regulas recensui, quibus Solanus Crises prædixerit, plurimis observationibus confirmatas. Quum vero nihil usitatius sit, quam ex *datis* indubitatis falsò concludere, in eodem errore versari videtur Solanus, dum regulas suas nimium extendere vult. Nullus est qui primo intuitu non videat, propositionem ejus de pulsu intermittente nimis esse generalem, et pluribus exceptionibus obnoxiam. Sectio defunctorum, qui pulsu intermittente laborarunt, patefecit eum sæpius ortum ducere ex Polypis, aliisque variis impedimentis, circa cor, vasa proxima atque pulmones. Hoc quoque effici poterit plurimis aliis causis, longe a Crisi alienis, spasmodicis nempe, convulsione, inflammatione, exinanitione aliisque ejusmodi. Hæ omnes axiomati generali de pulsu intermittente, manifestò repugnant. --- Utut hæc res sese habet, observationes ejus, stabiles et immotæ nihil secius remanent, adeo ut a consequentiis, quas inde deduxerit everti non possint; cumque novæ sint, spectentque evidenter ad praxin in febribus ulterius provehendam, dignæ sunt attentione cujusvis animi benevoli,

(a) Id. ibid. Sect. 2. c. 3. Obs. 1---6. | (b) De Præfag. ex pulsib. l. 2, c. 9.



nevoli, et excitare debent Medicos, quavis data occasione, has pulsus mutationes, in morbis observare. Rem esse arduam fateor, et summa cura, et diligentia indigere; commoda vero, quæ arti medicæ inde orirentur, vel in hisce stabiliendis, vel aliis novis detegendis, satis superque laborem remunerabuntur.

Crisium historiam tandem absolvisse videor, nisi dierum criticorum restaret adhuc explicanda animadversio, quibus vis est, febres per Crisin finiendi, in quibus explicandis non dubitabo auctoritate Veterum, præcipueque Hippocratis uti. Licet omni fere morbi tempore Crises evenire fateantur Veteres, statim tamen ac certis diebus et frequentiores et perfectiores fieri, per experientiam didicerunt. Hi dies quaternario et septenario circuitu definiuntur, suntque 4, 7, 11, 14, 17, 20, 24, 27, 34, 40. Inter hos dies, hoc maxime interest, non eandem vim esse omnibus. Septimus est maximi nominis, adeo ut Galenus, certiores nos faciat, se Crises eo die bene evenientes annumerare non posse; dignitati huic proximus est, decimus quartus. Sicuti variationes febrium notabiles, statim diebus accidunt, ita ab accurato morbi observatore prædici possunt, idque præsertim signis in urina coctionis, quæ plerumque dierum trium spatio Crisin futuram præcedunt; ita, si urina sit bene cocta, et alia indicia benigna appareant die quarto, Crisis bona, die septimo expectetur; si vero omnia pessima, et signa cruditatis adsunt, metuenda est mors die proximo decretorio. Quare quartus septimi index habetur, atque undecimus decimi quarti, decimus septimus, vigesimi &c. Hi dies qui ex illorum usu dicuntur indices, sive *contemplatorii*, sunt etiam critici, crisis hisce diebus sæpius incidentibus. Præter hos, sunt etiam alii, ordinis quasi inferioris, quibus Natura irritata, aut qualitate maligna materiæ peccantis, aut aliquo vitio, sive ægrotantis, sive Medici, cogitur Crisin ante debitum tempus conari, materie morbida nondum satis subacta, vel à sanguinis massa separata, ut corpore expellatur; hinc hæ Crises imperfectæ habebantur, et minime fideles. Hi dies dicuntur coincidentes, cujus generis sunt, tertius, quintus, atque nonus.



Crises etiam subito aliis diebus accidere possunt; ut sexto, qui præ omnibus aliis infaustissimus compertus erat, Galenus hunc diem, Tyranno cæde et sanguine civium suorum gaudenti, comparans; hujusmodi quoque sunt, sed aliquanto magis tuti, octavus, decimus, duodecimus, decimus sextus, et decimus nonus. Decimum tertium quidem ancipitem esse et medium inter bonos et malos, volunt. Illud notare non inutile est, morborum impetus, ad quartum usque decimum diem imo ad vicesimum magnos esse, et diebus tum septenariis tum quaternariis judicantur. Post vicesimum vero illorum vis magis remittitur, atque mitescit, et vix ulli dies præter septenarios aliquid judicare possint. Qui vero quadragesimum superaverunt, prorsus languescunt, et coctione potius vel abscessu, quam Crisi aliqua evidente terminantur. Si quæ notabiles in his mutationes fiunt, absolvuntur, singulis tantum vicenariis, puta, sexagesimo, octuagesimo, centesimo, et sic prorsus (a). Ut vero recte fieri potest dierum criticorum computatio, requiritur ut cognoscatur à quo tempore febris initium statui debet. Quod optime fit, ab ea hora, qua, ægro primum sensus, frigoris, vel horripulationis (b) percipitur.--

Hæc denique est doctrina Hippocratica de Crisibus et periodis morborum, quæ videtur esse vera experientiæ proles, et observationis alumnus, quamvis olim ab Asclepiade et Celso contemptui habebatur, quasi ex præjudicio præconcepto erga numeros Pythagoricos nata. Quum observare Crises et dies Criticos, res sit magni laboris, cui operam pro virili dare oporteat, mirum non est, si multi auctoritate Celsi confisi, nihil laborarunt ultra scire, an fundamento firmiore, stabilita hæc doctrina esset nec ne; adeo ut obsoletum sit hoc studium, et irrideat, aut supervacaneam ducat, Medicorum vulgus omnem de hisce quæstionem. Quæritur tamen an adhuc falsa esse probata fuerit, experientia sedula sæpiusque repetita? ad quam solam in hujusmodi quæstione provocare possumus: quum æque absurdum

(a) Hippocrat. Prognost. 3. Sentent. 1, libris de dieb. decretor. passim.  
 2, 3, 5. Aph. Sect. 2, 24. et Galenus in | (b) Boerhaav. Aph. 575.



dum videtur, aggredi vel explicare, vel enervare hanc doctrinam, rationibus abstrusis metaphysicis.--Erit operæ pretium inquirere, an sit hæc doctrina mere speculativa? annon potius in experientia fundata quæ nullis conditionibus vel temporis, vel loci mutari potest?

Veteres experimenta ad vindicandam ejus veritatem adduxisse, supervacaneum est dicere; nam accurate perlegenti libros Hippocratis de morbis vulgaribus, satis constabit, febres ibi depictas, regularem servare ordinem, et plerumque his diebus, qui critici sunt, insignes suas subire mutationes. Respondebitur fortassis hanc simplicitatem, vel miti cælo illius regionis, in qua Hippocrates medicinam fecit ortum debere, vel modo victitandi regulari, vel angustiori ejus febres tractandi rationi, quæ ægrotantis victum solum fere spectabat; quum hodie, venæsectione, aliisque ad initia febrium adhibitis præfidiis, Crisibus obviam itur.--- Inficias ire nequeo omnibus hisce suum inesse momentum; et ipse Hoffmannus strenuus quidem doctrinæ criticæ assertor agnoscit, se semper Crises certissimas, maximeque fideles sub cælum sudum atque serenum observasse (a); sic quoque Baglivius qui Medicinam Hippocraticam summopere coluit, fatetur; *In frigidis, paludosis et septentrionalibus regionibus, raro Crises perfectæ observantur; ut Germani aliarumque regionum frigidarum Medici abunde testantur* (b.) His non obstantibus, temerarium videtur asserere (c) Crises nequaquam posse congruere, hisce borealibus plagis, et hodierno artis exercendæ modo; quippe quod judicio doctissimorum recentioris ævi Medicorum, et historiis febrium a practicis observatoribus memoriæ traditis, repugnat. Primum igitur audiamus illorum opinionem, qui hanc veterem doctrinam, tenebris obvolutam, in apricum iterum proferre conantur.---Primum quod adducam testimonium, est celeberrimi Friderici Hoffmanni (d) qui ex luculenta quadraginta annorum praxi, semper compertum habuit; *Febres Ephemeræ, viginti quatuor ho-*  
ris,

(a) Med. Rat. Syst. vol. 1. p. 389. fol. ed. | (c) Pitcairn. Elem. Med. 1. 7. Sect. 3, 4.

(b) Prox. Med. 2. p. 234.

(d) Med. Rat. Syst. ibid.



ris, *Synocham* quarto vel septimo die, solvi plerumque per sudorem vel sanguinis e naribus fluxum; *Pleuritidem, seu Peripneumoniam*, leviolem et mitiorem fieri circa diem quartum, per tussim ejecta materie cruenta, circa septimum vero solvi sudore, et liberiori expectoratione; graviolem vero extendi ad decimum quartum interdum diem, et si ulterius procedat, in *Empyema* mutari; *Ventriculi Erysipelatem*, nunc per vomitum, nunc per sudorem, die quarto vel septimo dimitti; *Hepatis inflammationem*, septimo, undecimo, vel decimo quarto die partim sudore, partim alvi fluxione terminare; *Ardentes febres* septimo plerumque aut die decimo quarto, sudore, aut alvo uberiori judicari; *Pestem*, si æger servatur, quarto, septimo, vel undecimo die, truculentiam suam relinquere; et denique uno verbo, pleræque febres continuæ septimo, undecimo, aut quarto decimo die ordinariæ suam decursum absolvere. Hæc Hoffmannus. Huic suffragatur clarissimus Van Swieten (a) qui eandem in febribus harmoniam in Belgia locum tenere asserit, et suas observationes quas magna cum cura fecerat, adamussim, cum regulis Hippocratis congruere. Sed quid multa? Statne ab hac doctrina immortalis ipse *Boerhaavius*, magnus ille simplicis Hippocraticæ rationis medendi morbos instaurator? Certe, in praxi sua eleganti, Crises et criticos dies semper respicit (b).

Horum illustrium virorum testimonia, ad stabiliendam hujus doctrinæ veritatem satis superque sufficiunt; ad hanc rem vero magis probandam, et certiolem reddendam forsitan hic loci, non alienum foret illam paulo intimius inspicere, et perscrutando historias morborum epidemicè grassantium, ab Sydenhamo, aliisque traditorum, monstrare, Naturam in omnibus demum sæculis et regionibus, semper eodem tendere. In hunc finem plures proferri poterint febrium historiæ, quas tamen, ne in molem excrescat

(a) Coment. in Boerh. Aphorism. tom. 2. | (b) Aphorism. Sect. 587, 741, 833.  
P. 54.



creſcat hæc diſſertatiuncula, legentibus forſan permoleſtam, ſtudio prætermittimus (a).

Ita probare conatus ſum, hanc doctrinam, experientia, tum antiqua, tum recentiore, inniti; ideoque neque rejiciendam, neque tanto vano contemptui habendam, donec hæ obſervationes evertuntur. Hic notandum, ſi ulla experimenta hoc conſilio facienda ſunt, ad normam veterem omnino inſtitui debeant, id eſt, ratione ſignorum coctionis atque cruditatis habita; ſedulaque ſimul adhibita opera, ne Natura turbetur eo tempore, quum aliquid ad morbum removendum utile conetur; aliter enim nullo poſſunt adduci jure, ad fidem veterum obſervationum minuendam.

Quod ad Medicinam vero pertinet; Crifeſ in morbis attendere, certe ſummi eſt momenti: Inde enim comperta via qua inſiſtit ad morbos curandos Natura, quibuſque exitibus humores morbidos ejicire molitur, fiet, ut non ſolum, non opera ejus ſalutaria turbemus, ſed etiam inſtructi erimus, quando nos illi ſocios atque adjutores adjungere, vel impedimenta tollendo, vel materiem morboſam mobiliorem reddendo, vel denique laboranti, novas ad aſſequendam metam vires ſuppeditando. Præterea ſicuti in liquoribus ad fermentationem perficiendam, fructibus item ut perveniant ad maturitatem, concedendum eſt quoddam temporis ſpatium; ita liquet febres ſtatas et regulares periodos, omnino requirere, ut ſuam, ſi ita loqui fas ſit, maturitatem attingant, ſive eam conditionem, qua materies febrilis ita mutatur, et ſubigitur, ut corpore expellatur; quæ plerumque ſignis coctionis præeuntibus innotefcit. Et quoniam obſervatione compertum eſt, quod vacuationes, quæ ſunt per initia, et crudo adhuc exiſtente morbo, frequenter ſuſpectæ ſunt, et periculofæ; hinc oritur utilis in Praxi obſervatio, quàm cautè ab initio febrium,

F

um,

(a) Qui plura de hac re deſiderat, conſulat. Romazin. conſtit. Ep. urb. an. 1691, Sect. 34. Wintring. com. Noſol. p. 81. Con. Epidem. Uratiſlav. 1699. Morton. Pyritolog. Append. p. 235. Gomez Pereira. Nov. med. 35. p. 537. Sydenham. in Feb. 1661, 62, 63, 64. et 1673, 94. Muſchenbroek, Ephemer. Ultraj. 1728. et clariff. Martin. in Diſſert. de Criſ. et period. morborum.



um, purgantibus, sudoriferis, alexipharmacis, aliisque fortioribus utendum est; ad quæ, magno cum ægrorum damno, nimis sæpe sese recipiunt ignari, quibus morbus, aut in longum ducitur, aut lethalis redditur. Fatendum est quidem, quod aliquando, morbus sit naturæ adeo acutæ atque malignæ, ut, veluti in Peste obtinet, nullam moram patiatur, quin protinus ab initio, aliquid magnum faciendum est, sive sudores proliciendo, sive ulla alia via, aliter Natura succumbet, vi morbi devicta. Hinc rursum patet utilitas, Crises et Criticos dies observandi, ne intempestivo artis molimine, noceamus, dum ad excernendum nitimur, quod ad exitum non paratur.---Quo vero magis Crisium effectus, in febribus, his quæ optimis remediis debentur comparatos ponderemus, eo magis ad eas observandas incitabimur. Nonne sæpe Crisibus, absolutè, et quasi momento temporis solvuntur febres, ægroto pristina sanitate restituta? Dubitandi tamen est locus, an unquam, etiam maxime Herculeis remediis adhibendis, aliquid tale effici potuerit? Hæc quidem sæpe magnam mutationem morbo inducunt, eum in melius vertendo; Estne vero illorum virtus hisce limitibus contenta? Forfitan excipi potest arteriotomia, quæ licet hodie fere negligitur, tam felici successu instituta erat, a Medicis quondam præclaris (a), ad capitis dolores levandos, omnibus aliis medicamentis contumacius resistentes. Ex hac Crisium effectuum consideratione, suggeri debeat, illarum benignior idea, quam quæ plerumque obtinet.---Porro si veræ sint observationes *Francisci Hippoliti Albertini* (b), sciz. febres intermittentes, nunquam cortice Peruviano, tuto sanari, sine Crisi alicujus evidentis interventu; quanto major earum virtus oportet esse in febribus acutis, quibus non datur specificum adeo certum, et ubi apud omnes in confesso est Naturam plus quam in intermittentibus valere?---Hæc de Crisium utilitate.---Cum hæc doctrina igitur confirmatur, tum experientia, tum ratione, tum suffragiis clarissimorum in arte nostra virorum, cumque videtur fundamentum esse haud quaquam

(a) Ballonius, Severinus, Marcus Aurelius, &c.

(b) Act. Acad. Bonon. an. 1731.



quam infirmum bonæ in febribus praxeos, optandum est, ut splendori antiquo iterum restituatur.---Sed quomodo hoc præstandum?

Si consideremus, videre et vitare errores aliorum, optimum esse veræ scientiæ fontem; forte haud alienum erit, si exponam causas tanti Crisium contemptus, quas patefactas effugere licebit, et in posterum aliis longe, et tutioribus insistere viis. Quantum conjectura assequor, ad duas protissimum causas sequentes reduci possunt.

*Imo*, Quod Medici minus intellexerint, Veterum auctorum, præsertim Hippocratis scripta; nam quum forte observarint, ægrotantes sæpe recidivas pati, imo aliquando mori, post Crises etiam manifestas; et illas, tali ordine, et tanta simplicitate non semper succedere, statim temerè judicarunt, totum esse inane atque absurdum. Cum revera horum scriptorum perspectior notitia, citò illos errorem docuisset; quoniam Veteres tales regulas instituerunt, quibus innotescat, num Crises futuræ sint nec ne? et quo successu? sicuti etiam conditiones exposuerunt, quæ illas aut accelerant, aut remorantur, vel illarum ordinem simplicem et regularem turbant. Illustrissimus Van Swieten (a) nobis præbet hujus rei documentum præclarum, cum fatetur, se bis in eodem morbo errasse, nulla alia ratione, quam quod axiomata Veterum Medicorum non benè observaverat. Historia, quam narrat, perlegi jure meretur, cum sit simul indicium nobile, et hujus magni viri candoris, et illorum veritatis, quæ de Crisibus memoriæ tradiderunt Veteres.

*2do*, Altera causa Crisium negligendarum, erat, quod plurimi Medici, veterem observandi consuetudinem dereliquerint, et operam nimis navarint, in causis morborum a priori investigandis.

Jam inde, a tempore Hippocratis, plurima in Medicina utilissima sunt inventa; magna sane sunt commoda, quæ ex Anatomix, Chemix, et Mehanices sedula cultura, mutuati sunt Medici.

Faten-

(a) Comment. in Aph. Boerhaav. Tom. 2. p. 56.



Fatendum tamen, incommoda quoque exinde orta fuisse, quippe multa falsa et absurda Medecinæ introducta sunt, ex quo Medici hisce auxiliis instructi sint, fortasse plura quam seculis præcedentibus.

Mens humana enim natura irrequieta, et novæ scientiæ cupida, raro nuda rerum observatione contenta est, quin audax longius procedit, ad remotissimas illarum causas perscrutandas. Ita Medici ex paucis *dati*s, five Chemicis, five Mechanicis, prout, hæc, illave scientia, illis magis arridebat, Theoremata generalia morborum fecerunt, ex quibus omnia illorum phænomena explicare sibi assument. Utinam intra hos limites constitissent, et a fingendis novis curandi præceptis sibi temperassent, et nullus sane illis, suarum hypothesewn invidisset honores. Sed in hac etiam re similiter peccant; ita in libris multorum recentiorum de febribus, pervolvendis, inveniemus illos præcipientes; *Mineram morbi esse eradicandam; furorem archæi esse sedandum; materiem malignam diaphoreticis, ad corporis superficiem, esse pellendam; aciditatem, medicamentis aromaticis, saleque volatili præditis, corrigendam*; et mille alias absurditates quas vel repetere tæderet. Minime igitur mirandum est, si sub his conditionibus, Crises et Dies Critici, ignota fuerint, cum adeo complicatè et intempestivè medicam artem exercendo, Natura in operibus suis turbatur, et incertum sæpe esset, quinam ab ipso morbo ducerent originem dolores, quosve afferrent, malo more ingesta Pharmaca.

Si igitur nobis cordi et curæ sit, tales effugere errores, quomodo id melius fieri poterit, quam si Hippocratem ducem sequentes, methodum observationis prosequamur, optimum filum, quo dirigi possint Medicorum ratiocinia; et abjecta omni futili hypothesi, accurate omnia morborum phænomena, ut in Natura apparent, attendamus; hoc est quod fecit magnus Sydenhamus, et exinde felices adeo, et simplices curandi regulas deduxit.

Illud forte a me quæret aliquis: an igitur omnia Naturæ prorsus committenda? an oportet Medicum otiosum esse spectatorem, nihil aggredientem? minime vero. Medico licet, et quidem ei incumbit, sub febris initio, et sanguinem mittere, et aliis hujusmodi



modi præfidiis uti, quibus ad solutionem felicem febris perducatur; eodem vero tempore accuratissime invigilare oportet in omnibus febris conditionibus, ut salutaria signa critica probe intelligat, et tunc demum, nihil agat, si salutarem futuram Crisin esse prospiciat. Ita imitabimur præclarum Sydenhamum, qui fateatur, sæpe, post febris vim moderatam, se nihil amplius fecisse, sed totam rem Naturæ reliquisse, quæ suo tempore morbum ad exitum felicem perduxit.

Expectabitur forsan, me prius, de causis regularium in febribus periodorum, aliquid dicturum, quam ad finem hujus Dissertationis perveniam, quas uno ore tota Antiquitas, *Naturæ*, quædam intelligenti, omnia regenti et gubernanti, quæ vel in corpore sano vel morbofo fiunt, retulit. Quasi dixerint, mira hæc phænomena, causæ æque mirabili et in intelligentiam nostram non cadenti, accepta esse referenda. Fatenda est igitur nostra ignorantia, et Crises et criticos dies esse totidem observationes, quarum veritatem experientiâ novimus, causa vero nos latet, et fortasse semper latebit.

Et ut finem faciam, si hanc rerum universitatem, variaque naturæ opera intueamur, stupendam regularitatem sibi ubique constantem inveniemus; quæ admirationem nostram non posset non excitare, nisi quotidiano impediretur usu. Ubi vero est ille, qui explicare valet, cur aves ad ova excludenda præfinito temporis spatio incubant? Cur diversis animalium generibus, diversa sunt gestandi tempora? Cur tanta florum varietas, et quisque tempore sibi proprio, prata exornat? Et denique quod rem propius attingit, quis unquam rationem reddidit de regulari circuitu Variolarum, Febrîum intermittentium, atque Morbillorum? Hæ quæstiones, potius ad Philosophum, quam Medicum spectant; huic sat est phænomena observasse, quamvis causas illorum latentes investigare nequeat.

*Non fingendum aut excogitandum*

*Sed inveniendum, quid natura faciat aut ferat.*

BAC.

F I N I S.



... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...

... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...

... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...

... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...  
... et quod si ...